

vistis, ut non dubitaret se liberalissimis principibus, qui non mediocriter uniuscuiusque merita cognoscerent, suam operam dedisse. precipuam fidem, maxime qualem res bellice exigunt, constantissimus^(a) prestitit. taceo labores, sudores, esuriem, pericula, vulnera, gravissimasque egritudines his concretas, que, etsi quilibet 5 alteri^(b) militans impigre aggredi debeat, eo tamen iste avidius suscepit, quo et virtutis abundantior et tue liberalitati magis obnoxius erat. taceo plurimas victorias, quas tum robore corporis tum militari industria potissimum, qua inter raros prestantissimus est, tibi peperit. et, ut cetera omittam, cum novissime fortunas tuas altero 10 superiore gravissimo bello confractas^(c) nimium impar hostis urgeret, omnemque agrum tuum multitudine militum occupasset, is audacissima fide consuluit non esse secedendum, (sed) occurrendum congregiendumque hosti, [ex] quo casus^(d) occasio stringeret, volebatque, ni prohibuisses, non sine certo capitis sui periculo sese primum 15 corpore suo hostibus obicere. cui consilio si annuisses, non quesivisses fortassis integris rebus tuis aliena subsidia, sed tuorum pater et dominus usque in hunc diem continuata fortuna mansisses. ac postremo insuper, cum dira necessitas, que nimium plerunque iuris habet in principes, cogeret te ut urbem tuosque relinqueres, ipse 20 obtulit se tecum, quocunque ires, venturum, indignum arbitratus te inopem, extorrem, alienaque beneficia mendicantem agi, se autem^(e) pacatis rebus suis opulentum frui. tu vetuisti, et reliquisti eum sub alieno iure. quid viro fideli faciendum erat nisi fidem, quam dare cogeatur, novo domino servare? a quo, munere natalis^(f) patrie 25 donatus multisque honorum culminibus elatus, per paucos dies antequam urbem reciperes, in sua servitia advocatus est. iusiurandum sanctumque ius militie servandum est, nullaque^(g) vi, amicitia aut premio pretermittendum^(h). renuere non poterat quin⁽ⁱ⁾ faceret.

(a) *B* constantissimis (b) *B om.* alteri (c) *O* constructas (d) *B om.* casus, e forse ex va meglio espunto. (e) *BO* seque autem (f) *O* natali (g) *O* in nullaue (h) Dopo pretermittendum *B* reca ne molestie feras ut quod tibi sponte prestitit et servavit nunc (ved. p. 435 r. 6), e ora non va oltre. Nel margine poi si annota: « Hec epistola non est integra quia deficit pagina »; ciò che evidentemente era già avvenuto quando fu trascritto il cod. PM, in cui l'Oratio (c. 135 n) s'arresta al medesimo punto. In Ra invece la proposizione continua servavit nunc invitatus in aliena cura &c., sino alla fine. O dà:

Per la nota (i) v. pag. seguente.